

14

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,
SISTENS
MELETEMATA QUÆDAM
De
ULCERIBUS,
ET
BORACIS IN IISDEM USU.

Cujus
PARTEM PRIMAM
CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ ABOËNS.

PRÆSIDE

Dn. Doct. JOHANNE J.
HAARTMAN,

COLL. MED. ASSESS. ATQUE MEDIC. PROFESS. REG. ET ORD.
EQU. AUR. REG. ORD. WAS. ATQUE MEMBR. REG.
ACAD. SCIENT. ET SOC. PATR. HOLM.

PRO GRADU DOCTORIS

PROPONET

GABRIEL ERICUS HAARTMAN,

Facult. Medic. Adjunctus & Anat. Prosector.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XV JUNII

ANNI MDCCCLXXXI.

Horis ante & post meridiem solitis.

ABOË

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,

E. Brunnus

S:Æ R:Æ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
REGIS REGNIQUE SVIO - GOTHICI SENATORI,
REGIÆ CANCELLARIÆ PRÆSIDI,
ACADEMIÆ ABOËNSIS CANCELLARIO,
ORDINUM REGIORUM EQUITI ET
COMMENDATORI,
ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
COMITI AC HEROI
DOMINO
ULRICO
SCHEFFER,
MÆCÆNATI SUMMO.

SACRUM.

Verique simile est, inter non multa auxilia adversæ valetudinis, eam (curam) bonam contigisse, ob bonos mores quos neque desidia neque luxuria vietarunt. CELSUS.

Præfatio.

Quemadmodum Experientia & Ratio amica necessitudine conjunctæ, in veritatum adyta nos ducunt; ita perverso ordine incedunt Medicorum illi, qui, neglecta experientia, meditabundi tantum Musfeis inclusi, caussas morborum eorumque curam rimantur. Recte igitur observavit CELSUS: *ne agricolam quidem aut gubernatorem disputatione sed usu fieri.* Neque vero ideo dictum velim, Medicum praxi imprimis studentem, neglecta omni theoria atque ratione, usu experimentisque solis inniti debere: iis namque faciem præferentibus, Medicinam experimentis adjutam ad perfectionis culmen ascendere, unusquisque lubens fatetur. Si enim caussæ atque natura morborum unquam detegi possent a priori, ut dicunt, facile foret sistema condere pathologicum. Id autem cum fieri nequeat, quis non videt, quam in morborum doctrina

A

na

na magnopere expetimus certitudinem, tenebris ad-
 huc obvolutam esse densissimis? Symptomata nimi-
 rum atque Phænomena, quæ morbos comitantur, se-
 dula adhibita attentione primum sunt investiganda;
 quibus cognitis & rite iater se collatis, ad præcepta
 Anatomiae & Physiologiæ nec non Physicæ, indeoles
 morborum eorumque effectus atque caussæ intelligi
 demum possunt. De veritate hujus rei perspicillissimus,
 materiem dissertationis ad summos in Medicina hono-
 res obtinendos ex tenore legum electurus, mox in
 eam incidi cogitationem, melius atque utilius esse, ea
 quæ ipse vidi, rudijs pertractare, quam facta pulchre
 atque eleganter dicere. Culpandus vero omnino es-
 sem, nisi lubens faterer, casus illos singulares, quos in
 Nofocomio Holmensi observare mihi licuit, animum
 ad præsentem materiam eligendam determinasse. Fe-
 licissimum omnino meis fatis erat fidus, sub quo mi-
 hi contigit Chirurgiæ studere eamque exercere sub
 auspiciis Celebratissimorum Virorum Illustr. Domini
 Doct. AB ACREL, Direct. Gener. Nofocom. Regn. at-
 que Equ. Reg. Ord. Waf. & Celeberr. Domini Doct.
 SCHULTZEN, Assessoris Coll. Med. & Soc. Chir. Holm.,
 qui Scholæ Chirurgicæ in Nofocomio Holmensi incly-
 tissimi præfunt. Amplam, quæ mihi nunc suppedita-
 tur, occasionem, merita Virorum maxima venera-
 tione laudatorum extollendi, vel avidissime amplecte-
 rer, sed vetat tenuitas ingenii, vetat verborum inopia,
 vetat denique inexercitata dicendi facultas. Id solum
 monere velim, Eos propositum hocce meum, confreta
 sua

sua benignitate atque benevolentia excepisse, mihi que
in rebus dubiis atque arduis enodandis auxilium be-
nigne præstissem: quæ beneficia, vere maxima, quam-
diu spiritus hos regit artus, gratissimo condere pecto-
re nunquam desistam.

Morbos inter, quorum magna adeo seges exter-
nas humani corporis partes affligere solet, morosissi-
mi atque perniciocissimi sæpe fuere Ulcera Maligna.
Hinc non mirum, Medicos in eorum curatione tanto-
pere desudasse, adeo stupendum certe numerum re-
mediorum contra hasce afflictiones commendantes, ut
nullum aliud morbi genus remediis magis abundans
inveniatur. Eorum nimiriun Medici multa quæsive-
re, pauca tamen invenere. Quibus enim morbus u-
na vice cesserat, iis altera, nulla licet observata ma-
li differentia, pertinacissime restitit. Operæ itaque
premium esse videtur, remedia, si quædam unquam
inveniri possint, quibus in cura quarundam saltem ul-
cerum specierum fidere licet, ulteriori Chirurgorum
subjicere disquisitioni. Quæ itaque de præstantia Bo-
racis jam differere animus est, eadem fieri opinione
credas B. L.

Quod ad casus a me afferendos attinet, eos ex-
perientia atque fide Præceptorum omni laude majo-
rum niti, læto prædicare possumus animo. Quæ au-
tem in hac Prima Sectione de Ulceribus vulgaria oc-
currant, ea in primis proposui mente, ut commilito-
nibus ideam de hisce morbis generalem formandi an-

fam suppeditarent. Eo autem incessi ordine, ut, generali de ulceribus notione præmissa, quantum ex historia suppurationis ad intelligendam naturam ulcerum necessarium esse videretur, adtulerim. Dein naturalem ulcerum dispositionem simulque Diagnosin atque Prognosin brèviter exposui, atque demum cūram, præfertim malignorum ulcerum, leviter adumbravi. Quæ de Boracis in primis usu in altera Sectione differere animus est, in aliud tempus differre cogimur. Conamina denique mea, si, ut scio, exspectationi Tuæ, B. L. non satis respondeant, ut poterem tritam proponentia, atque pro levitate sua luce forte indigna, id velim teneræ tribuas ætati, viribusque operi tanti momenti construendo imparibus.

SECT. I.

SECTIO I.

De Ulceribus in genere.

§. I.

Melius certe, malum illud quod Ulcus vulgo appellatur, ex inspectione, quam ex definitione optime licet constructa, dignoscitur; ideam tamen ejus qualemcumque exhibent characteres illi, quos plerique Auctores constituerunt in solutione continui, siue ea ab interna sive ab externa oriatur caufa, quæ vel pus vel saniem vel alios quoscumque humores fundit alienos. Magnam esse hujus morbi diversitatem, vel a vario solidorum adjacentium statu, vel denique ab humoris effusi indole derivandam, nemo quidem attentus Nosocomia perlustrare potest, quin observet. Ut vero haec melius elucceat, caufarum memoratarum aliquam præmittere descriptionem omnino erit necessarium; qui enim morborum bene distinxerit cauffas, multo facilius eorum invenire potest curam, quam qui ingeniosissimas excogitare velit Emplastrorum vel etiam Unguentorum formulas, quas numerosissima ingrediuntur simplicium agmina; his enim uti, neminem quidem decet, nisi barbare tonsorem, qui earum ope omnium malorum debellatorem credulæ plebi se ostentare potest.

Quod indolem attinet fluidorum effusorum, pen-
det
A 3

6

det hæc in primis a puris digestione vel concoctione; sic enim istam humorum mutationem appellare solent Artis nostræ periti. Coctum dicitur Pus, dum curæ ulcerum quasi favet; ea autem ratione magis malignum est, qua sanationem eorundem impedit. Limites autem inter gradus suppurationis benignæ atque malignæ ægre admodum determinantur, nisi ex historia ejus, vel brevi, deducantur, ad quam itaque per volvendam mox properabo.

Omnes fere Chirurgiæ Auctores suppurationem quidem tanquam solius inflammationis sequacem, quasi sine ea fieri non posset, plerumque pertractant; cum autem Observatores Machaoniæ artis Celeberrimi (*a*) permultos adnotaverint casus, qui ab ea opinione multum detrahere videntur, jure certe inflammationis nunc præterivimus notionem, præprimis cum ea etiam omnibus notissima supponi debeat. Sed in alio forte argumento, si varias disquirere conarer Auctorum opiniones, Lectori magis satisfacerem. De Puris nimirum ortu atque generatione valde inter se discreparunt Auctores eam rem pertractantes; varias itaque eorum rationes afferre non inutile erit, ut quid verum quidve falsum sit, facilius indagari possit.

§. 2. Valde omnino percrebuit opinio illa, quæ Ill. BOERHAVIUM Auctorem agnovit, (*b*) suppurationem

(*a*) ACREL Chir. Hånd. p. 236.

(*b*) Aphor. de cogn. & cur. morbis §. 387. De viribus medicamentorum P. III. Cap. 9.

nem nempe oriri ex miscela humorum effusorum cum solidis diffractis levi putredinis ope facta. Eodem etiam modo mutationem istam humorum fieri statuerunt jam dudum **HIPPOCRATES & GALENUS** (*c*), licet eam a putrefactione cadaverum distinxerint, aliamque secundum naturam, aliam vero contra eandem fieri dixerint. Hanc Theoriam plerique Chirurgiæ Auctores omnisque Iatraliptarum cohors adoptavere, rationemque inde actionis digerentium, detergentium, consolidantium, epuloticorumque pertinaciter admodum quæsivere. In momentis licet quibusdam inter se paululum discrepaverint, in eo tamen plerique consentierunt, rubram præprimis sanguinis partem ad pus constituendum absolute esse necessarium (*d*). Quæ autem istas hallucinationes infringunt argumenta, in sequentibus occurant.

Aliter vero Puris confectionem explicat Cl. **GRASHUIS** dum de suppurantibus agit (*e*); docet nempe pinguedinem principalem esse materiam inflammacionis ope in pus mutabilem, ideoque cellulofam adiposam folam esse suppurationis sedem. Multas quidem ad suam probandam Theoriam adfert rationes, parum autem eas valere, in sequentibus ostendere conabor.

Alii etiam humorem puri analogum in ipso sanguine præexistere, ibique naturæ vi parari atque per vasa circulare, tandemque vel per varia colatoria vel

in

(*c*) de Febris L. I. C. 7.

(*d*) Prix de l' Academie Royale de Chirurgie p. 371.

(*e*) l. mox c. p. 280. & seqq.

8

in cava quædam effundi autumant (*f*). Magnam huic sententiæ addit vim haud parva certe copia puris, quæ sine prægrediente inflammatione citissime sæpe per tumores evacuatur criticos, metastaticos, aliasve puris migrationes, si ita dicere fas est, vel etiam in cavitates effunditur corporis, vel denique per varia feceruntur colatoria, e. g. vias urinæ, alvi &c. (*g*).

Experimentis tandem Cel. PRINGLE & GABER victus, ejusmodi de Puris generatione explicationem tradidit Cl. BELL (*h*), quæ ex sola lymphæ effusione indeque orta stagnatione, ejusque a justo caloris gradu nata fermentatione quadam, intelligi possit. Quum in multis ultimæ hæ convenienter opiniones, iisdemque quibusdam nitantur rationibus, eas simul perscrutari melius duxi.

§. 3. Cel. PRINGLE dum varium sanguinis corrupti indagaturus colorem, in eum finem & serum & crassamentum ejus seorsim calori æstivo exponeret, illud intra breve tempus turbidum fieri, sedimentumque deponere puri haud dissimile, minime adhuc olens; hoc vero atque serum, globulis quibusdam rubris mixtum, colorem induere cœruleo-rubrum, fœtidumque spar-

(*f*) PLATTNER suppl. p. 29.

(*g*) Hæc forte opinio occasionem dedit liti illatamdiu Chirurgos inter motæ, utrum ulceræ vetustiora curare licitum esset vel non; cuius quidem argumenta egregie explanavit Cl. MERCK in Dissert. de curationibus Ulc. diff. in cruribus præsertim obviorum. p. 4. 5.

(*h*) On the Ulcers p. 53. & seqq.

9

spargere odorem, semper observavit (*i*). Eodem successu gaudebant experimenta Cl. GABER, cumque eadem ulterius extenderet, neque crassamentum, neque pinguedinem, neque cellulofam denique, sero licet mixtas, in humorem ejusmodi puri analogum unquam abire saepius advertit (*k*). Sed praeter haec, plura hujus rei Praxis Medica æque ac Chirurgica exhibet documenta. Vesicatorio ut vocant applicato, stimulatur cutis, levis oritur inflammatio, ruunt undique humores hoc vehementer, quasi acrimoniam istam molestatam diluere atque removere molirentur; effunditur tandem lymphatica eorum pars sat copiose inter cutem atque epidermidem, quæ jam in vesiculam elevata, humore limpido turgida distentaque apparet. Hac denique abscissa, effunditur humor ille lymphaticus, ex finibus ultimorum vasorum dilatatis stillans. Si jam cuti denudatae Emplastrum quodcunque vel Unguentum applicetur, eam ab aëris externi arcens injuria, intra 24 horas pus blandissimum ubique apparet. Praetereaque, quod in primis mirum, si cutem quoque vicinam humor ille inundaverit, ibique sub emplastro, eodem permanserit tempore, easdem subire mutationes observatur. Eadem etiam probat phænomenon ab Ill. VAN SWIETEN in Comm. ad BOERH. Aph. T. I. commemoratum; vulnus nempe recens, primo merum effundere sanguinem, dein humorem subrubellum, postea vero crusta à congruumato sanguine ob-

B

duci

(*i*) Maladies des Armées exp. 45.

(*k*) Act. Taurin T. II. p. 84.

ducī sub eaque tandem Pus nasci. Sed neque ideo credideris coagulatum illum sanguinem in pus mutari; vulgaris enim observatio est, vulnus, quamdiu pergit fluxus sanguinis rubri, nunquam suppurare, obseratis vero arteriis rubris, ut non nisi limpida tenuisque exstillet lympha, pus demum illud blandum omnimode innocuum oriri. Laceratis vel etiam dilatatis in Hæmoptysi febri Peripneumoniam comitante, vasis sanguiferis, expuitur primo sanguis spumosus, coccineus; Febris autem antiphlogisticis minuta, minus urgenter liquida, magis contrahuntur vasa, ideoque erumpit solum lympha tenuis, limpida, quæ sputa sic dicta cruda efficit: pergit hæc tandem expui, quamdiu tussis frequens & sicca; hac autem paregorico leni moderata, diutius in cellulis commoratur, caloreque digesta in pus vertitur bonum, quod jam cocta dicitur expectoratio. Sed praeter hæc, si Pus jam paratum a fonticulis vel etiam Ulceribus abstergas benignis, neque alia ejusdem indolis erumpit materia, sed lympha tenuis, limpida, quæ tamen iterum moræ calorisque ope, intra breve suppurat tempus. Ex hisce rationibus certa conclusione deduci potest, Pus ab ipsa lympha coagulabili effusa atque in cavo quodam stagnata, fermentationis cujusdam ope, interdum saltem oriri. Ex his etiam intelligi potest, an crusta pleuristica circumfluens jure appellari possit pus, sicut Cl. PLATTNER in l. c. opinari videtur.

§. 4. Hæc autem omni occasione eadem contingere non videntur; haud levia enim protulerunt
Aucto-



Auctores quidam Celeberrimi argumenta, docentia me-
rum Pus in ipsa sanguine circumfluente adesse atque jam
paratum ex ultimis vasorum finibus stillare. Neque hæc
ullo modore reprehendi potest opinio, nisi nimis omnino ex-
tendatur; in primis cum de resorptione ejus aliqua ratio-
ne suspicari possimus. Utrum vero fermentationis illa spe-
cies quam suppurationem appellavimus, in ipso san-
guine sub rapidissimo ejus motu fieri possit, difficilius
djudicatur; probabilem quidem eam opinionem red-
dunt casus a Cel. DE HÆN aliisque Auctori bus, Tumo-
rum ut appellant criticorum, allati. Generatur enim
in iisdem haud parca Puris copia, intra brevissimum
omnino tempus, quæ certe nisi in sanguine jam para-
tum esset pus, aliunde derivari non posset. Sed ne-
que inde cum Cl. PLATTNERO concludere fas est, ean-
dem semper esse puris originem, ut ex antecedenti-
bus facile perspicere licet. Præter ea quæ mox
memoratus Cl. Auctor attulit argumenta, alia quæ-
dam Theoriæ hujus illustrandæ gratia addere non
injucundum erit. In Collegiis suis Chirurgicis ea mi-
hi communicavit Cel. MURRAY, singulari semper vene-
ratione colendus Præceptor, quæque ideo Observa-
tori huic in Anatomicis perspicacissimo lætissimus o-
mnino debeo. Plures nempe observationes antea jam
factas, suis confirmavit Cel. Vir, feminas in febre Pu-
erperarum existuntas non solum Uteri sed etiam
totius canalis intestinalis atque Peritonei superficiem
copioso pure madidam habuisse; unde ejus origo nisi
in sanguine jam paratum fuisset? Alia etiam occasio-

ne hominem paucis ante mortem diebus commotio-
nem Cerebri passum aperuit Idem Cel. Vir, omnibus-
que perlustratis, per totam cranii basin & in Cerebri
ventriculis, nec non inter piam meningem arachnoide-
amque tunicam, magna aderat puris copia, cuius cer-
te nisi ab ipso sanguine pure inquinato, ægre admo-
dum explicatur generatio. Neque minoris momenti
phænomena ea sunt, quæ in Variolis contingunt, ma-
xime licet benignis. Earum enim eruptione, suppu-
ratione & denique exsiccatione, sine ullo malo sym-
ptomate, ne minimo quidem exanthemate repulso,
prægressis, oritur hinc vel inde tumor fat magnus,
intra breve sæpe tempus suppurans magnamque pu-
ris fundens copiam, quæ certe a lympha effusa haud
generari posset. Nec denique aliunde derivari pot-
est expectoratio illa copiosissima, quæ Phthisi Pituito-
fa vexatos adeo interdum confundit, ut omni pingue-
dine omniisque fere substantia carnosa destruēta, seele-
torum instar étti sola obductorum, appareant. Ex
jam allatis, pus quoque in ipso sanguine interdum
existere, cum eoque per vasa circulare, sæpeque jam
paratum hic vel illuc deponi, possibile omnino vide-
tur; licet tuto de ea re hand dijudicari possit usque
dum indoles humorum corporis nostri melius per a-
nalyſin elucidetur. Cumque Viri Celeberrimi utram-
que amplexi fuerint opinionem, mihi non est in tanta
lite meam interponere mentem; valet certe heic il-
lud tritum, medium tenere beati.

§. 5. Præter ea quæ jam de puris ortu vario-
dixi.

diximus, aliæ etiam rationes sunt quæ hæc ulterius confirmare videntur, quæque utriusque farent opinio ni. Ex hocce enim fonte facile deducuntur rationes, cur magnæ nimis suppurationes corpus adeo emacient, viresque debilitent, Materia nimirum nutriens, utpote quæ pabulum quasi suppurationi præbeat, sive ea intra vasa vel extra eadem fiat, consumitur, hinc deficit nutrimentum, ideoque corpus ipsum necessario fit debilius. Sic enim machina corporis nostri constructa est, ut iisdem viribus quibus vita integra manet, se se ipsam sensim sensimque destruat, & nisi aptis nutrimentis detrita refocillarentur destructaque restituerentur, intra breve omnino periret tempus. Intelligitur etiam, quomodo suppurationes contra opinionem Cl. GRASHUIS in locis pinguedine omni destitutis, e. c. in Cornea oculi aliisque membranosis partibus, in substantia ipsa Cerebri ejusque ventriculis &c. haud raro oriantur. Explicari etiam eo modo potest, quomodo Pus sine prægressa inflammatione, manifesta saltim, a sola fermentatione quadam lymphæ coagulabilis, sive in ipso sanguine circulante sive in eo effusa orta, generari possit. Ea demum ratione haud difficilis enodare licet, quomodo Pus sine sanguinis rubri effusione atque sine dilaceratione vasorum, ut post Cantharidum applicationem contingere videtur, ideoque sine ullo solidorum adjumento, parari possit. Difficilis autem explicari potest, cur in membranosis glandulosisque partibus suppuratio multo difficilior; probabile quidem videtur, cellulosam illam stipatam

quæ in iis abundat locis, obstrunctiones vasorum promovere, ideoque scirrhis magis quam suppurationibus favere; utruu vero hæc sola ejus phænomeni sit ratio, tuto haud judicari potest. Eadem forte ratione ligatione quoque Ulcerum nimis adstrictæ suppurationem retardant, utpote quæ obstrunctionem quandam quodammodo promoteant. Hæc de pure benigno; quæ autem cauſſæ hoc vel alio modo illud malignum, saluti noxiū, reddant, supersunt eruendæ.

§. 6. Depravatio Puris a duobus cauſſarum generibus derivari potest, nimirum vel ab internis vel ab externis. Quæ intus agunt cauſſæ, in humoribus in primis latent, ideoque secundum eorum variam differunt indolem. Omnes itaque morbi qui succum affligunt nutritium, necessario Puris mutabunt natūram. Hinc suppurationem in omnibus ejusmodi morbis serofis, semper vario modo pravam, ut in Lue Venerea, Scrophulis, Arthritide &c. omnes observarunt Practici. Alii autem eorum specificē quasi agunt, ita ut Ulcera ab iis comitata primo fere intuitu ab aliis distingvi possint e. c. Venerea, Serophulosa. Reliqui multa invicem habent communia, quare etiam Ulcerum ab iis natorum Diagnosis, nisi a morbo educatur primario, tanto difficilior, e. g. Arthriticorum Hecticorum &c. Morbis autem qui in partem in primis sanguinis rubram agunt, non minor uestis ad suppurationem depravandam. Sic Scorbustus verus putridus adeo humores dissolvit, ut vasa minima quoque permeare, ideoque per totam Ulceris superficiem exstil-

exstillance posuit. Sanguinem autem rubrum nunquam in Pus bonum mutari, jam supra diximus; hinc non mirum, suppurationes Scorbucorum semper pravas ichorofas nempe & sanguinolentas esse, ut in Praxi haud raro contingit observare. Sed praeterea alia interdum est humorum degeneratio, dum scilicet nimis aquosi atque diluti quasi sunt, quod malum cum nimia laxitate solidorum complicatum plerumque deprehenditur; haec ipsa dyscrasia vires puris concoctrices evanidas quasi reddit, cumque praeterea calorem minuat innatum, aliud suppurationi objicit haud leve impedimentum. Serum enim sanguinis calore solummodo 16 graduum digestum, sensim sensimque putreficit, foedumque illum induit odorem, qui in cadaveribus putredine incipiente inquinatis observatur. Idem etiam in Femina Ascistica contigisse, monet Cel. PRINGLE in loco citato. Hinc jam facile intelligitur ratio, cur Cachexia congenerque ejus Hydrops Ulceribus malignis optimum praebant fomitem; ut in omnibus fere libris Chirurgicis nec non a CELSO jam dudum memoratas videmus observationes (*1*). Æque ac frigus, ut jam diximus, suppurationi resistit, sic etiam calor

(*1*) Exemplum hujus rei evidentissimum mihi ipsi contigit observare. Femina nimirum, qua magis Cacheistica nunquam forte vila est, ob tibiam fractam Nosocomium Holmense intraverat; complicatum autem malum erat cum magno cruris vulnera. Hoc omni licet adhibita cura, intra septimanæ spatium adeo mutatum fuit, ut loco puris liquamen nigrum faculentum odore fœdissimum, pleno quasi efflueret rivo, compressisque fe-

calor nimius cum ad Gangraenam ducat nocere potest; hinc nimiam partium adjacentium inflammationem semper nocivam esse, monuerunt scriptores Chirurgici.

§. 7. Sed ab externis quoque caussis pus malignum fieri dixi; quas itaque nunc explanare conabor. Quantum ad partes animales corruptendas valet aëris externi libera admissio, nemo ignorat, totaque die in dissectionibns observatur anatomicis, tædio molestiaque insuper haud parva; eadem autem vi ad suppurationem depravandam aërem gaudere, omnibus certe, qui primis faltem labiis scientiam nostram gustaverint, notissimum est. Præterea variæ quoque aëris conditiones suppurationis mutant naturam. Sic calor aëris externus, si nimius sit, eadem fere ratione nocet ac calor ille inflammatorius innatus, de quo supra diximus. Idem etiam de aëre frigido valet, inprimis si humidus simul sit; eadem enim vi Puris digestioni ac omni aliâs fermentationi resistere observatur. Multo tamen efficacior ad suppurationem depravandam est aër putridus, quali Nosocomia magna saepius inquinata sunt; hinc non mirum, Ulcera maxime licet benigna, in Nosocomiis ejusmodi, cacoëthica, pessima interdum fieri. Jure itaque Auëtor quidam Celeberrimus dixit, Nosocomia magna, quoad sanitatem segregantium salutaria minime esse

more tibiaque, ex aperto ulcere erumpens vicina fere inundaret. Sed neque firma tamen conjectura deduci hinc potest, humores ipsius ejusdem indolis omnes fuisse; in cellulosa enim effusi eam postea induerunt naturam.

esse. Sed præter hæc, applicata etiam **externa** Pus, optimum licet, mutare valent. Ut enim nimis arcta deligatio, quum quasi vi comprimente obstructiones promovente agat, suppurationem quoque impedit, ac materiam ejus ope paratam pejorem reddat, atque callositatem plerumque inducat, necesse est. Ulcera etiam difficilius digeri, dum rudi linterum applicatione nimis absterguntur, quotidiana docet experientia; renascens enim tenera cellulosa, tutela sua optima, innocuo nimirum illo pure, amissa, facillime destruitur, humorque erumpit sanguinolentus difficilime suppurans. Qualem exhibeant nocivum effectum materiae putridæ, vel etiam putredinem promoventes, dum Ulceribus applicantur, nemo quidem nescit; sic emplastra unguentaque rancida pessimas producunt suppurations. Omnes etiam caussæ quæ fibras rigidas atque arefactas quasi reddunt, suppurationem corrumpunt; eam equidem caussam esse pejoris in Ulceribus, ab ambustione vel etiam congelatione ortis, suppurationis, asseri jure potest. Ejusmodi strictroram ut sic dicam partium, quæ etiam interdum a medicaminibus adstringentibus inducitur, aquæ tepidæ ope in Nosocomio Holmeni optime sublatam vidi; eoque modo suppuratio bona restituitur. Sufficient hæc de ortu indoleque Puris; quæ jam de Ulceribus speciatim adferre lubet, ex iis facilius intelligi posse sperem.

SECTIO II.

De Ulceribus in specie.

§. 8.

A diversa indole, figura, sede, humore effuso, duratione, morbis comitantibus & denique reliquis symptomatibus, variis designata fuerunt Ulceræ nominibus; exempli cauſſa ſufficiat nominaffe, Fungum, Fistulam, Ozænam, Ulcus purulentum, malignum, venereum &c. Hæ autem æque ac reliquæ Ulcerum species, ad modum Cl. BELL in binas Clafſes commode dividi poſſunt, nimirum Localia & Symptomatica; quæ ex his quaſi mixta ſunt, tertiam ſub nomine Complicatorum, conſtituere poſſunt Clafſem. Ejusmodi Ulcerum diſtributio curam haud parum ſublevare quaſi videtur, cum indicationum evidentiorem reddat rationem. Quæ enim a cauſſa in ipfo loco affecto hærente oriuntur Ulceræ, internis non egent remediis, utpote quæ externe applicatis cauſſam illam tollentibus facili curantur negotio. Ulceribus e contrario, quorum ratio in morbo quodam ſystematis generali latet, ſine remediis internis, quæ ſtatum illum morbosum mutare valeant, minime licet mederi. Complicata autem Clafſis, remedia requirit tam interna quam externa, ad cauſſam accommodata.

§. 9. Ad priorem pertinent Clafſem Ulceræ Pu-
ru-



rulenta simplicia, qualia post Abscessus benignos vulneraque recentia contingunt; Purulenta vitiata a causa quadam externa nocente orta; Fungosa; Callosa; Sinuosa; Fistulosa; Cavernosa; Cariosa; Verminosa; Varicosa; Cancrofa; Phagadenica denique sive Cutanea, a sola frictione nata e. g. in ingvine & pone aures infantum. Horum Diagnosin lubens prætermitto, cum neque adeo difficilis sit neque ab ullo ignorari possit, in primis cum in omnibus explanetur Chirurgicis compendiis. Quod ad Prognosin attinet, plerumque mala non est, nisi sedes mali vel in nobilioribus partibus sit, vel etiam ejusmodi ut manum Chirurgi non admittat, ideoque curam difficilem reddat. Causæ autem aliæ proximæ, aliæ occasioales sunt. Illæ partim a diversitate solidorum affectorum, partim ab humorum affluentium diversa indole, partimque a corporibus alienis pendent, possuntque iis exacte examinationis atque cum observationibus præcedentibus collatis, haud difficiili erui labore. Id solum notandum est, quas inter externas suppurationis malignæ recensimus caussas, diversas procreare Ulcerum Localium species. Quæ occasioales dicuntur caussæ, secundæ et jam tertiacæque Classi communes sunt; aliæ autem externæ, ut læsiones quæcunque, e. g. vulnera, contusiones, ambustiones, fracturæ &c. aliæ internæ, ut omnes phlegmonum species, seirrhi in caneros mutati, nec non reliquæ in paucis adeo pagellis haud numerandæ. Ex hisce caussis Ulcera æque in sanissimo ac morbo gigni possunt homine. Quando vero in sub-

jecto in primis ægro, ubi morbus quidam systematis, caussam efficiens prædisponentem præexistiterit, agunt, eo pejor, cæteris paribus, oritur effectus. Hæc mala Classem jam constituunt secundam.

§. 10. Innumerus fere illa cohors est, qui morbos comprehendit prædisponentes ad Ulcera, nec forte ullus status morbos corpus affigit, quin simul formatum quasi iisdem præbeat; sufficiat tamen enumerasse eos qui speciatim, nullo non tempore, Chirurgorum meruere attentionem. Quantum ad Ulcerum generationem efficiant Lues venerea, Scrophulæ, Scorbatus, Erysipelasque, nec artis tirones, vel etiam Iatraliptæ, ignorant. De vi eorum peculiari specifica, supra diximus. Hæc mala, nisi radices tam altas egerint, ut eas evellere plane impossibile fit, remediis plerumque specificis cedere solent, excepto tamen Erysipelite, quod teste Cel. HEISTERO difficilime omnino euratur (*m*). Sed præter hos, aliud etiam non minus nocivi existunt morbi prædisponentes, quorum vis ægrius forte frangitur. Sic Phthisis, Arthritis, Rheumatismus, Cachexia, Hydrops, Obstructiones mensium Hæmorrhoidumque, virus Cancrosum reforptum, Exanthemata retropulsa, Systematisque Nervosi morbi, pessima fæpe producunt Ulcera. Diagnosis plerumque a morbo determinatur primario, ideoque si hunc facili eruere liceat negotio, illa parum difficilis est. Manifesta quodammodo hæc sunt Phænomena, sed aliud interdum adeat vitium corpo-

(*m*) 293.

corporis, difficilius observatu, quod nisi cauſa quædam occasionalis nociva acceſſerit, ſuffocatum quaſi latet. Sic e. g. Mercenarius pauperrimus, alimentis licet vefcatur rancidis, diſſicillime digerendis, oligo-chylis, quamdiu laboribus ſuis intentus eſt nullo gravatur morbo; vulnere autem, quamvis levi, in quo-cunque loco ſi ita afflictus fuerit, ut otiosam vitam dege-re cogatur, effectus diaetæ ejus prodere ſeſe non mo-rantur; vulnus enim in pelliſum jam abit Ulcus, fa-natu omnino diſſicillimum.

§. II. Sed aliud quoque Ulcerum genus a com-plicatione quaſi cauſarum oriri diximus, quod ple-rumque magis malignum eſt, peculiaris naturæ, Chironium Telephiumve CELSO dictum. Vera ejusmo-di Ulcerum indeoles, diſſicillime omnino, circumſpecte lieet examinata, dignofcitur; hinc non mirum, optimos quoque & exercitatissimos Chirurgos in eorum cura ſæpe diu fruſtrari, interdumque decipi. Cauſæ enim locales molimina naturæ quaſi impediunt atque fu-focant, diſpoſitio autem morboſa corporis iſtas ite-rum alit efficacioresque reddit; ideoque muſuo quaſi conſilio curæ refiſtunt. Produnt ſeſe hæc Ulcera va-riis ſymptomatibus, quæ tamen facilius ab obſerva-toribus dignofcuntur, quam multa lieet verborum am-bagine adhibita, literis explicantur. Materia ſuppura-ta qualicunque modo depravata, vel fanioſa nimirum vel ichoroſa, vel etiam alia peculiaris ſordities ſqua-lorve, Diagnofin perficit. Solida autem quaſi emor-tua, gangrænam ſæpe mentientia, confiſciuntur; ſæ-




pissime enim nec sufficit, vel Callum, vel Fungum, vel Sinum, vel etiam aliud quocunque his simile vitium adesse: singularis nimirum in putredinem proclivitas, mala ejus generis & producere, & nutrire, & demum augere, plerumque solet. Notandum tamen est, quo plures concurrant caussæ, eo pejus malum nasci; unam autem altera pejorem esse. Sic inter locales, Callus, quoad pertinaciam primum tenet locum; si enim putrida illa fordities, de qua supra diximus, aptis abstergi possit remediis, Callo tamen remanente nusquam tuta obtinetur cura; regeneratio nimirum novæ carnis, ut dicunt, a Callo impeditur; hinc facile iterum fordes renascuntur pessimæ. Maxima validissimaque tamen, morbi interni curæ objiciunt impedimenta; singularē autem quid pro cuiusvis indole propria: nefcio autem an quis obstruktione mensium pejor sit; neque hoc mirum, cum inter difficultima Medicorum negotia mensium revocatio jure numerari possit. In quacunque corporis parte Ulcera ista maligna occurtere quidem possunt; jam ab antiquiore tamen ætate Medicī observarunt, iisdem Tibias saepius vexari: unde et jam Ulcera crurum quibusdam Auctōribus segregatam quasi constituerunt classem. Hujus autem phænomeni varias statuerunt rationes; sufficiat quasdam adnotasse. Nimiris longa harum partium a corde distantia, vario modo nocet; ob circulationem enim in hisce locis lentiorem difficultoremque, œdema pedum varicesque, nec non obstrunctiones quæcunque, facilis heic nascuntur; hinc vario modo indeoles depravatur Ulcerum. Praeterea pedes sem-

semper frigori aërisque vicissitudinibus obnoxii sunt; quarum noxam supra paucis attigimus verbis. Quid quies, in hisce partibus saepius interdicta, efficiat, nemo quidem nescit; licet Auctor quidam Cl. motum ægrotantibus nunquam denegaverit (*n*). Hisce collatis, facile patet, Prognosin semper ambiguam saepeque malam esse; si vero curam unquam admittant, certe intra breve tempus non obtinetur.

Licet ejus in hisce pagellis nunc non possumus absolvere historiam, paucis tamen eam attingere verbis lubet, ut quantum a solutione Boracis exspectandum sit, eo melius videri possit.

§. 12. Indicatio Ulcerum curatoria, principalis est corrupta sic mutare, & aliena abolire, ut oræ Ulceris adunari atque citatrice obduci possint optimo. Si omnia absint heterogenea, Pus vero optimi moris iusta effluat copia, naturæ quidem beneficio hæc saepissime obtainentur, neque in eo casu adeo necessarium est ad ea manus adhibere medicas; sufficit nimis plerumque Ulcus ab aëris externi injuria qualunque modo arcere. Sic, ut supra monui, variæ pluresque caussæ simul adesse possunt, quæ, nisi remediis ad naturam atque vim earum adtemperatis tolli possint, curam omnino impediunt. Magna illa Epuloticorum ab Auctoriibus in Ulceribus commendatorum cohors, una fere methodo, aërem nimis exter-

(*n*) ROWLEY Essay on the Cure of ulcerad legs without rest, exemplified by a variety of Cases, in which laborious exercise was used, during the Cure. Lond. 1771.



externum arcendo agit; quare in simplicibus Ulceribus æquo omnia adhiberi possunt jure: præstant tamen quæ tenera illa cellulose renascentis stamina minime irritant læduntque, nec non ab aëris injuria optime defendunt. Si autem incarnatio, ut vocant, adhuc non accesserit, digestivis vulgo utuntur Chirurgi ungventis, neque in eorum selectu multa opus est attentione, cum eadem omnino agant methodo; optimam tamen dicuntur quæ ex therebinthina cum oleo quodam parantur. Majoris autem est momenti, justum observare caloris gradum. Si enim nimius adsit, antiphlogisticis temperare, justo autem minorem cataplasmatibus vel fomentis calidis sublevare, juvat; "circumspecti enim esse hominis & novare interdum & "augere morbum", CELSUS optime dixit. Eadem fere ratione, topica nimirum cauñas tollentia applicando, reliquis medentur Ulcerum simplicium speciebus. Callosa nempe callum destruendo, Cariosa ossis corrupti exfoliationem promovendo, Fungosa fungum destruendo, Verminosa vermes necando, cæteraque facili saepius curantur labore. Methodum qua in iis morbis procedere licet, cum in omnibus fere libris Chirurgicis tradi soleat, lubens nunc prætermitto, ne nimis generalia proponam. Notandum tamen est, etiam hæc, si diuturniora vel inveterata sint, vulgaria saepè frustrari remedia.

§. 13. Remedia quibus morbi interni, cauñas efficientes Ulcerum prædisponentes, profligari solent, ex therapeuticis nota suppono, ideoque in ea non indigent

digent perscrutatione. Sufficiunt plerumque remedia interna, nisi locale aliquod vitium simul adsit, neque in iis externa remedia sola unquam profunt. Observavit hoc in Ulcere Arthritico Cl. MERCK (o); tutam nempe non admittebat curam, donec vinum antimoniatum HUXHAMI propinatum esset.

Adnotari etiam meretur, Cel. W^HYTT plurima a Veteribus Medicis Ulcera scorbutica vocata, ad Cacoëticorum retulisse Classem; vera nempe Ulcera scorbutica, nisi Nautas, vastissima pervagantes maria, rarissime adfligere dixit, neque mirum, cum peculiaris illa in putredinem proclivitas, rarius aliis contingat. Quod autem in hisce cura difficilior sit, ex eo in primis provenit, quod diagnosis non semper mox determinari possit, quodque morbi isti, in primis chronicci, remedii s quoque efficacissimis, nisi post usum eorum protractum variaque fata, haud profligari possint. Si hisce paucis utatur monitis Chirurgus minus exercitatus, Ulcera ad hanc pertinentia Classes, minus diffici curari labore sperrem. De malignis nunc differendum est.

§. 14. Remedia tam interna quam externa, ad curam Ulcerum complicatorum, ut jam supra diximus, omnino necessaria sunt. Observandum autem est, victus rationem ad diaetæ regulas correctam, in quibusdam casibus sufficere; ubi nimirum habitus subjecti morbosus ab erroribus diaetæ ortum duxit.

D

Sed

(o) l. c. p. 10.

Sed neque remedia interna, neque diaeta, quamvis optima, sufficiunt, nisi topicis vis eorum simul sufficiatur: externa quidem remedia si selecta sint, fortes atque malignitatem sine adjumento remediorum internorum profligare possint. Sed neque ideo tuta obtinetur cura; dum enim detergentia seponuntur, omnes mox recrudecunt pessimae fortes. Adeoque monere convenit a remediis internis, sine externis adjutricibus, frustra curam exspectari, viceque verfa. Attenti Chirurgi est, observare quibus in quovis casu & quo modo utendum sit remediis: præstantissima jam enumerabo, & quidem primo quæ ad topicia pertinent; interna dein quam brevissime pertractabo.

§. 15. Quæ ad Ulcera maligna, teste CELSO olim adhibuerunt Malagmata, Catapotia atque Pastilli, nostrojam obsoluerunt tempore. Meliora postea detecta fuere, quorum enumerationem longissimam omnino dedit Cl. FLURANT (*p.*), quam ideo nunc, utpote nimis prolixam, omitto. Balsamum Fioraventi, Samaritanum, Commendatoris, Unguentum Apostolorum, Empl. de Nicotiana, & quæ his similia, multum pristini perdiderunt pretii. Inter præstantiora, quæ media commendavit ætas, numerari possunt Ungv. Fuscum Fel. WURZII, Ægyptiacum, Lapis medicamentosus CROLLII, Aqua viridis HARTMANNI &c. Magnam quoque utilitatem in Ulcerum cura præstisit Aqua Epulotica, ex Decocci Rad. Brit. vel Aristol.

vel

(*p.*) Prix de l' Academie de Chirurgie T. II.



vel Millefol. cum Aqua Calcis parati Libr. s. cum Spir. Cochl. vel Mastich. Unc. j s. Tinct. Aloës Myrrhaeque ana Dr. iij atque Mel. Rosar. Dr. vj, quæ Cel. D:num Præsidem Auctorem agnoscit, cuius in me a teneriore jam ætate paterna omnino beneficia, nec non in Præceptis Medicinæ mihi inculcandis indefessos labores, celebrare fatis nunquam valuero. Sed minus composita, his multo forte præstantiora habemus. Decoctum fol. Juglandis cum Saccharo in primis mixtum, commendat Cel. HEISTER. Decoctum fol. tabaci vel etiam ipsa folia, tanquam euporiston ipse vulgus adhibet. Sed efficacissimum omnibusque notissimum in Cortice Peruviano, testibus plurimis Cel. Viris, habemus remedium; huic cum magno fructu Opium admiscebat Cel. BROMFIELD, Camphoram Cel. GMELIN, cuius etiam methodum in Patria imitatur Ill. AB ACREL. Camphoram solam multis extollit laudibus Cel. COLLIN; plethoricis autem huic admixtum Nitrum exhibere solet. Corticis Chinchinæ quoque multa laudarunt succedanea, inter quæ Cortici Salicis, in aliis quoque morbis, magnam tribuerunt vim. Nec alia præteribo vegetabilia hoc consilio commendata: Aristolochiam nempe Serpentariam, Fol. Plantaginis, Ramicum plures species, Fol. Quercus, Centauream utramque, Myrtum, radices Gentianæ, Agrimoniam Eupatorium, Conos Abietis, fol. Bryoniae, Scordium, notissimasque Myrrham Aloëmque. Quam ad Ulcera detergenda præstet vim Saccharum, vel Syrupus ejus, nemo quidem ignorare potest, cum etiam apud vulgum eodem adhibeantur

scopo; eadem quoque fine applicari possunt Mel atque Sapo vulgaris. Phellandrii Aquatici feminibus Cl. LANGE magnas tribuit vires; hujus affinis Pimpinella magna ab Ill. HALLERŌ, seculi hujus deco-re, in Ulceribus in primis commendatur erysipelatoſis. Cicutæ laudes magis notæ sunt, quam eam ut in hocce catalogo præterire possim. Tabaci affines Solanum, Mandragoram, Belladonnamque, minus forte prodeſſe, quam pro laude quæ a quibusdam auctoribus iis tribui-tur, teſtantur obſervationes Cel. BROMFIELD. Flammu-lam Jovis atque Anemonem pratensem, efficacissima eſſe remedia, probant experimenta Cel. STOERCKIL. Pluſta-men exſpectandum videtur a cataplaſmate ex radicibus Dauci, quod in Ulceribus Cacoëthicis post Invento-rem SULZERUM commendarunt COELIN, GIBSON atque RUSH. Sedum acre in Pultem contufum, pluri-mum in Ulceribus, præſertim ſcorbuticis, conducere obſervavit Cel. SCHULTZEN, munquam fine venerabun-da beneficiorum memoria nominandus Præceptor.

§. 16. A Vegetabilibus ad remedia ex regno Minerali jam tranſeundum eſt; ſed ſufficiat eandem ſervaffe brevitatem. Quæ primum in mente veniunt remedia, quorum rumor latius forte quam Cieutæ ipfius Medicos inter ſerpfit, Saturnina ſunt, quibus multas atque efficaciffimas tribuerat virtutes Au-ctor eorum Cel. GOULARD. De iis autem mihi non eſt quid detrahendum: id tamen adnotabo, maximam in iis adhibendis obſervandam eſſe circumſpectio-nem; cum apud Auctores non defint caſus perplurimi,
ubi

S. Secularis
Slad

ubi resorptio plumbi pessima produxit mala. Qualem in Ulceribus malignis, vim Mercurialibus tribuerint auctores, nemo quidem ignorare potest; quare tritissimum hoc remedium nominasse solummodo sufficiat. Aquam detergentem Cl. JANIN, ex lapidis infernalis Dr. S. in aquæ font. Unc. viij vel x solut. in Ulceribus laxis humidis commendat Cl. MERCK. Alii etiam aquam aluminosam, atque aquam calcis in Ulcerum curatione laudarunt; si huic cortex Peruv. vel etiam merc. sublimatus incoquatur, plus certe præstabit. Cel. QUESNAY externam aceti applicationem, nec non spiritum nitri dulcem, magnis extollit laudibus. Sallem ammoniacum cum camphora in aqua solutam, commendat Cel. LOUIS, tanquam bonum roborans & antiputredinosum. Aqua marina in Ulceribus scrophulosis magnas omnino per multos jam annos meruit laudes. Sed etiam in omnibus Ulcerum generibus Auctores aquas commendarunt medicatas. Qualem in Ulceribus usum aqua simplex calida præstet, supra diximus. Carbones candentes maximo-pere commendavit Cl. FAURE; hoc autem remedii genus licet saepius tentaverit Ill. AB ACKEL, nihil præstitisse dixit hic summa veneratione colendus scientiæ nostræ Antistes. Inter topicas medelas neutiquam reticenda est Fascia expulsiva, cuius in Ulcerum curatione usum, licet a plerisque Chirurgiae Auctoribus antea commemoratum, ulterius confirmavit Cel. THEDEN. De præstantissima Boracis solutione plura in sequente sectione dicam; remedia interna nunc paucis attingenda sunt verbis.

§. 17.

§. 17. Evacuantibus multum omnino in Ulcerum curatione tribui potest. Quod laxantia attinet, præstantissima, teste Cl. ROWLEY, merito dicuntur; iis enim solummodo repetitis, sine ulla topicis, curam saepius perficiebat. Urinam moventia jam dudum commendabant veteres Chirurgiæ Scriptores; hinc millepedum, decoctorum diureticorum, vel etiam balsamorum quorundam, in Ulcerum curatione usus; neque aqua picis liquidæ inter haec remedia infimum tenet locum, teste Cl. MERCK. Diaphoreticis, & quidem in primis Antimonialibus, dum Arthritica vel etiam Rheumatica adest labes, magno cum emolumen-
to uti jubent Auctores permulti Celeberrimi. Quid autem a derivantibus, fonticulis nempe, aliisque ejusmodi remediis exspectari possit, haud tuto dijudicatur. Inter alterantia, quæ ex mercurio parantur reliquis pal-
mam præripere videntur. Vario autem modo, ut no-
tissimum est, propinari haec solent; parcior sed repe-
titus eorum usus, Cl. ROWLEY maxime arridet. Sed neque minus ab Antimonialibus sperandum esse, permulti testantur Auctores. Inter vegetabilia, Cicuta, Belladonna, Solanum, Pulsatilla, Flammula Jovis, maximas adepta fuere laudes. His tamen præstantius ad-
notari debet mustum hordei; quod cum Dauci cata-
plasmate externe applicato, optimo effectu propina-
bat Cel. MACBRIDE. Eadem ratione ac Aquæ Me-
dicatæ alterandi scopo alias profunt, in Ulceribus
etiam magnam præstant utilitatem. Quid a diætæ
regimine atque victus ratione sperare liceat, ex supra
di-